



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO LXXI.

Ex cons. 74. alias 26.

Quia subitatus ob quædam contenta in schedula, quæ legit, clericum socium petentem vt sibi copiam eam legendi faciat, a se repellit, tangendo eum manu, qui tamen illud in iniuriam non accipit, excommunicationem non incurrit; eo quod excommunicatio maior sine peccato mortali non incurritur: cap. Nullus & c. nemo 11. q. 3. huiusmodi autem repulsio inter amicos, & conuersantes familiariter, culpa mortalis non est, cum in omni materia paritas rei a culpa mortifera excusare censetur, ex Nau. in Man. prælud. 9. nu. 12.

DECISIO LXXII.

Ex cons. 75. alias 5. de corp. vitiat.

Canilaginis auris parua carens particula, quæ legi potest, vel ita dissimulari, vt scandalum nõ inducat, vtendo capillo corone dimissiore, saltem in illa parte, irregularis non est, nec ad celebrandum dispensatione indiget; focus autem si tota, aut dimidiata, aut etiam tertia parte auris careat, ita Nau. in Man. c. 27. nu. 199. & 223.

DECISIO LXXIII.

Ex cons. 8. in Nouis, deest in antiquis.

Excommunicatio generaliter in capitulum lata, licet valere non censetur, c. Romana. §. in diuersitate. de sent. ex com. in 6. suspensio tamen sic absolute contra illud lata valet, & singulos de capitulo existentes ligat, c. si sententia, de sentent. exc. in 6.

DECISIO LXXIV.

Ex cons. 15. in Nouis, deest in antiquis.

Promittens in partibus certam pecuniarum quantitatem ei, qui dispensationem Apostolicam expediriã traderet, sub Extrauagante Gregorij XIII. incip. Ab ipso. & est 28 in ordine, comprehenditur; & gratia facta nulla, & irrita est, etiam si tertius, qui illam impetrauit, huius promissionis esset ignarus Gratia autẽ revalidatio sic per fordes promissas obtenta, ita danda videtur, vt non quod promissit, sed quod labor iuste meretur, persoluatur.

DECISIO LXXV.

Ex cons. 17. in Nouis, deest in antiquis.

Cum Papatus beneficium sit, c. 1. de maledict. omnif. que simoniacus in ordine, vel beneficio ipso iure excommunicationem incurrat. Extra. 2. de simo. consuequenter donans aliquid Cardinali, vt eueniente vacantia Sedis Apostolicæ, suo, & aliorum voto suffragetur tertio alicui digno pœna Extrauagantis Pauli IV. Extra. cum secundum Apostolum. & est constitutio 38. in ordine eiusdem aduersus ambientes Papatum edicte, ligatur, & simoniam committit, quæ licet ex sola donatione istius, conuentionalis sit, si tamen postea Cardinalis dicto tertio det, procuretve votum & suffragium, realis efficitur ex vtraque parte completa, quæ prædictam excommunicationem inducit. ex Nau. in Man. c. 23. nu. 105.

DECISIO LXXVI.

Ex cons. 18. in Nouis, deest in antiquis.

Extravagans Gregorij XIII. incip. volentes edita anno 1577. & est 53. in ordine eiusdem. lata contra extrahentes frumentam ex statu ecclesiastico, vel euentes, ad alium usum, quam suæ familiæ sustentandæ, sub pœna excommunicationis, de imponenda, nisi autem de ipso iure incurrenda excommunicatione intelligitur, & simoniam committit, nisi ad factum peruenit sit, ex Nau. in Man. c. 27. nu. 51. nec extraxisse dicitur, qui extrahere tentauit, etiam si a loco capisset auferti dummodo territorium non exiuerit, qui non extraxit, sed emit extrahendum, & negociandum, soluitque stipendia extrahentis, immo etiam per aliquo militaria versus extremum status ecclesiastici, per

quod extrahendum erat, solummodo adduxerit, excommunicatus non est.

DECISIO LXXVII.

Ex consil. 53. in Nouis, deest in antiquis.

Suspensi, & interdicti simpliciter, ab officio prædicandi non suspenduntur, ex Nau. in Man. c. 27. nu. 176. cū prædicatio de officiorum diuinorum numero non sit quæ interdicto personali, vel ab officio diuino suspensio interdicitur, vnde cum pœna extra proprios casus extendi non debeat, c. pœna de pœnit. d. 1. & c. odia. de regul. iur. in 6. quatinus Missam interdicti, aut suspensi denunciati audire, peccatum sit, Extra. Ad euitanda scandala, prædicantes tamen huiusmodi audituricitate possunt, dummodo ab officio prædicandi expressè interdicti, aut suspensi non fuerint.

TITVLVS XXIV.

De verborum significatione.

S Y M M A R I V M.

- 1 Prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, interdictum, & suspensio, diuersis respectibus appellatur.
- 2 Suspensi, seu interdicti in prohibitis actionibus vitandi sunt, si sint denunciati.
- 3 Fortunam pinguiorem fortitur, qui deducto ne cgeat, solvere potest.
- 4 Locus insignis dicitur, qui in ordine locorum quiddam habet præcipuum.
- 5 Concilium Proninciale, quid, & a quo congregari potest.
- 6 Verbum. Non suffragetur positiuum in Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. quid denotat.
- 7 Concubinarij, non solum tertia parte fructuum, sed etiam distributionum, per cap. 14. sess. 24. priuantur.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 9.

Prohibitio ab ingressu ecclesiæ, diuersis respectibus in iure interdictum, & suspensio, appellatur: c. sacro. de sent. ex com. c. 1. & c. si quis autem. de sent. ex com. in 6. Suspensio enim dicitur, si ob culpam propriam fiat, & non ob alienam; Interdictum veto siue ob culpam propriam, siue ob alienam fiat. ita Nau. in Man. c. 27. nu. 156. & 170. Sicut etiam duos ordines factos vna die suscipiens, aliquando suspensus dicitur, c. literas & c. dilectus. de tempor. ordin. & Nau. in Man. c. 25. nu. 71. generaliter sumpta suspensione: Aliquando autem & proprie irregularis dicitur, ex Nau. in Man. c. 27. nu. 241. ex eo quod irregularitas ex susceptione duplicis ordinis eodem die nata, sit duplex, vna quæ accipitur contra excommunicationem latam, ne furtim acciperetur; Altera vero ex eo, quod accipitur furtim tantum, quæ est longe minor prior; d. c. literas & c. dilectus & glo. ibi. & Pan. in d. c. literas. ff. c. data vero breuitas efficit, vt Papa verbo suspensionis vteretur, ad significandũ debiliorem esse irregularitatem, quæ oritur ex sola furtim acceptione, de qua ibi loquutus est, quam irregularitatem, quæ ex furtim assumptione, & contra excommunicationem simul nascitur, ne in re rarissime contingente Papa magis quam opus est se extendere.

DECISIO II.

Interdicti, & suspensi, si nominatim pro interdictis, & si suspensi denunciati sint in illis actionibus, a quibus eis interdicitur, vel a quibus suspenduntur, vitandi sunt; Extra. ad euitanda Martini V. & non in alijs, cum pœna extra casus proprios extendi non debeant, c. pœna. de pœnit. d. 1. & reg. odia. de regul. iur. in 6. & Nau. in Man. c. 27. nu. 151. 172. & 176.

O DE.